



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Servitutibus Prædialibus, Usufructu, & utroque  
Retractu, Pars II. de Emphyteusi, Pars III. de Locatione & Conductione

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XLV. Romana damni infecti. Vicinus agens in suo prædio opus, per  
quod damnum vicino inferatur, & cautionem præbens de damno infecto,  
quomodò illud jam eventum reficere teneatur, Et ad quid cogi ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74102)

ptus fuit disputandus articulus; An hæc locatio ad quinquennium in proposito & ad effectum de quo agebatur dicenda esset nec nè ad longum tempus.

<sup>2</sup> In hoc autem pro Communitate scribens dicebam, nullibi in jure determinatum esse, quando locatio ad longum vel breve tempus dicenda sit; glos. vero in l. prima §. quod ait verbo *actio* ff. de superficiebus. & in Clem. prima de reb. Eccles. non alien. verbo ad tempus modicum, plures refert opiniones, quas ex eadem glos. & alijs reasuum Menoch. de arbitr. casis. Alij enim sentiunt dici biennium, Alij quinquennium; Alij septennium, Alij decennium; Alij vero id possumt esse in arbitrio judicis, ex variis rerum, locorum, temporum vel causarum circumstantiis regulando.

Et licet apud canonistas, antequam emanaret *extravagans ambitiosa*, de rebus Ecclesie non alien. magis recepta esset opinio quod locatio ad longum tempus non diceretur infra spatiū decennio inferius; Vel ex eo quod in prohibentibus libertatem stricta interpretatio facienda sit; Vel quia per tantum tempus transferri videtur quoddam dominium *ad non in cap. primo de rebus Eccles. non alien.* cum quo etiam sensu pertransfunt feudista, ut scilicet sub dispositione *cap. Imperiale*, de probib. feud. alien. per Federici. sive sub Conflit. Regni incipien. Constitutionem *Divam memoria*, veniat locatio, qua sit decennio major & quæ tanquam longa dicitur species alienationis, non autem inferior ex deducitis per Rosenthal. de feud. cap. 9. conclusi. 7. num. 8. & 9. ubi in gloss. l. i. cateri ad saturatatem de more cumulantur.

Nihilominus in ceteris rebus indiferentibus, in quibus non militet ratio prohibitæ alienationis, sub qua locatio ad longum tempus tanquam ius domini translativa veniat; Et fortius, ubi longi temporis qualitas non importat naturalis libertatis restrictionem &odium, sed potius favorem, ejusdemq; libertatis restitutionem, Omnipotens verius videtur, vel favore libertatis benigniores opiniones de biennio, triennio, vel quinquennio recipendas esse, vel & probabilius, attendendam esse alteram, ut id remitterendum sit judicis arbitrio regulando ex facti circumstantiis.

Hac autem ultima opinione utpote probabiliori retenta, ac stante subjecta materia dicebam etiam cu sensu veritatis, justè, ac rationabiliter spatiū trium vel quatuor annorum in proposito longum dicendum esse, cùm ut plurimum hujusmodi herbarum & pascuorum venditiones singulis annis ad modicos mensis hybrii temporis fieri soleant; Attenta præsertim consuetudine agriculturae, cuius periti testabantur, quod in proposito emptionis herbarū longum tempus censem tur totum illud, quod triennium excederet, itaut gregium institutores, qui vulgo *vergari* seu *fatores* nuncupari solent, ex ejusdem agriculturae observantia, tacitum dominorum mandatum habere dicantur ad obligandos Dominos pro emptionibus seu affictibus tenutarum & pascuorum ad dictum tempus triennii sed non ultra.

Clarius autem premissa procedere dicebam in hac individua facti specie, ob particulares ejus circumstantias, cum in facto supponeretur quod omnes dicti Oppidi seu Communitatis tenetæ in duas partes seu species divisa esent, quibus incolæ alternatim utintur, quia nempe in uno tempore una colitur, & altera relinquitur pro usu pascuorum; In ea enim quæ colitur, de pascuis agi non potest; Et altera, quæ pascuorum usui relinquitur, supponi Cardin. de Luca de Servitutibus.

tur oppidanorum prohibitionem esse à die S. Angeli Septembbris, uisque ad medietatem mensis Februarii, pro quo tantum tempore durat jus privatum Appaltatoris, A dicto vero tempore citra, communis est civium & incolarum usus; Quo factò sic stante, proflus impracticabile videtur dictum capitulum 35, per quod prohibetur hujusmodi tenetæ vendere vel locare absque licentia Dohanneriorum, qui expectandi sint ad totum mensem Decembbris, quoniam ita jus conductoris durabile non esset, nisi ad dies, pro quorum usu nullus inveniretur, qui conduceret vel emeret, unde tenetæ remanerent proflus iniuriles Communitati, quæ alias inhabilis redderetur ad publica onera cameralia & communiativa supportanda, cum ejusdem Principis & Cameræ præjudicio. Ideoque ex hujusmodi particulari circumstantia fatis probable dicebam, quod circumscripta etiam locatione ad longum tempus, istarum tenetarum species sub dicta Constitutione, seu sub dicto cap. 35. appaltus non venirent; Controversia tamen exitus fuit mediante quadam concordia.

## ROMANA

### DAMNI INFECTI,

PRO

JOSEPHO COSTA.

CVI

GINNASIIS.

Causa decisus per Cameram ut infra.

Vicinus agens in suo prædio opus, per quod damnum vicino inferatur, & cautionem præbens de damno infecto, quomodo illud jam eventum reficere teneatur. Et ad quid cogi valeat.

SUMMARIUM.

- 1 F Acti series.
- 2 Quomodo damnum infectum sit reficiendum, distinguuntur inter rem reficiendam, vel non.
- 3 Si reficurres in meliori statu, an reficiens repeat meliorationis estimationem.
- 4 Remedium damni infecti proditum est ad evitandum damnum, non ad faciendum lucrum.
- 5 Ea, quæ sunt ad voluntatem an sunt reficienda.

DISC. XLV.

VOLENS Joseph Costa in quodam ejus prædio existente subitus viridarium illorum de Ginnasiis propè ripam Tyberis in loco nuncupato *marmorata*, ex antiquis muris & ruinis excavare cementa lateritia vulgo nuncupata *ravolozze*, ut frequens est in Urbe consuetudo, inhibitus à dictis de Ginnasiis, ut ab opere abstineret propter periculum ex hujusmodi excavatione imminens muris dicti eorum viridarii, & præsertim cuiusdam lodi ad oblectamentum in eo existentes, cautionem præstitut de damno infecto; Unde factio

Eo casu ruinæ tam dictæ lodia, quām aliquorum murorum, non dubitabatur de predicti Costæ obligatione ad refæctionem damni, sed sola quaestio erat super dictæ refæctionis modò seu qualitate, & super hoc puncto interrogatus pro veritate per Costam jam per duas sententias condemnatum ad reficiendos muros & lodiam.

Respondi quod in materia damni infecti duo causæ distinctè considerandi sunt; Unus est quando Dominus ædifici collapsi nullam habet necessitatem, ut illud denuò construatur, sed tantum ejus damnnum versatur in ædificij amissione seu infructuositate, & tunc certum est, quod obligatus de domino infecto ad aliud non tenetur nisi ad pretium rei dirutæ bonificato solo & cementis juxta text. express. in l. cum empator 38. §. deducto ff. eod. ubi Barr. Caſtrenſ. & alij passim; Et in hac estimatione non est habenda ratio voluptatis & corum, que luxuriaz vel delectationis gratia aderant, & sunt amissæ juxta text. expressum in l. ex damn. 40. in princ. eodem sit. Alter cit, ubi Domino ædifici damnificati necessaria est illius in statum pristinum rediutorum, & tunc non dubitatur damnificantem teneriad quantum interese damnificato ipsam rem stare, & sic ad reducendam remad statum, in quo erat anteā, nec admittitur ad solvendam ejus estimationem ad text. in l. nam si non sit 37. §. quod si non sit ff. eod.

Punctus autem difficultatis est isto secundo causa, an si damnificans restituat meliorem, agere valeat ad id, quod novum ædificium plus valet antiquo, & in hoc ita videtur distingendum; Aut ædificium antiquum non erat ruinosum, ita ut illius Dominum vel de presenti vel de futuro ad nullum impensam vel reparacionem necessitaret, & tunc putabam ad nihil agere posse, quia damnificato nulla exinde resultat utilitas nisi cuiusdam majoris commoditatis vel ornatus, nisi tamen rem illam habeat venalem, & propter meliorationem talis ædificii pretium sit auctum, quia id quod plus tali occasione ex venditione consequeretur, omni legis & æquitatis ratione ad facientem spectare debet; Et hic est proprius casus in Barchionen. murorum 24. Novembri 1617. & 16. Martij 1618. eoram Verospio, & 14. Decembri 1618. eoram Vbaldo, qua quidem decisiones in materia adeo sterili sunt valde singulares, licet aliquale æquitativum arbitrium continere videantur ad favorem cause pie.

Aut verò ædificium antiquum erat ruinosum de praesenti, vel saltem tale, quod traictu temporis poterat de illius ruina probabiliter dubitari, & successivè indigere impensa & reparacione, & tunc putabam damnificatum refundere debere tantum quantum sibi ex mutatione muri de antiquo in novum resultat utilitas, nempe non tantum quantum importat valor muri novi ultra antiquum, sed quantum arbitrio peritorum interest liberari ab illo periculo seu impensa necessariò facienda pro ædificio restaurando seu reparando; Et hoc non solùm ex regula generali fundata in æquitate & ratione naturali, ut nemo debeat locupletari cum aliena jaæcura ad text. in l. nam hoc natura ff. de condit. indeb. Sed ex peculiari ratione damni infecti, cuius remedium proditum est ad evitandum damnum, non ad consequendum lucrum, ut rectè probat text. in l. damn. infecti 18. §. penult. eod. ibi: Cum 4. Praetor id agat, ne damnum faciat actor, non ut in lucro versetur, idque optimè probat gloss. in d.l. cum empator §. deducto, ibi: emendabis mibi eo pretio quo erat prius, & non compitabitur quod modo valet

plus, & in l. inter sequenti §. fin. verbo in estimando, ibi: quia illud est attendendum quod meliorem habet modo pariterem; Et hic videtur communis intellectus Iacob. de Aren; Imo; Roma; & aliorum in d. §. deducto; Est enim optima ratione fundatus, quia iniquum & irrationalib[us] videtur, quod si quis occideret servum, equum vel bovem imbecillum vel debilem, & coactus dare alium, in excambium daret fortē, validū, & robustū, iste non debeat refundere id, quod superat suum interesse, quod tantum versabatur in subrogatione alterius servi vel animalis ejusdem qualitatis & aptitudinis; Et quemadmodum rei Dominus etiam malæ fidei possessori melioramenta necessaria solvere tenetur, ea ratione quia si non essent facta, teneretur ipse de novo facere, ita pariter in isto casu.

Eoq[ue] fortius huic rationabilis æquitati locum esse videri dicebam, quia vel parum iuste vel nimis rigorosè processerant judices condemnando ad resciendam cum tam magna impensa quamdam lodiam ad solam voluptatem deservientem contra dispositionem text. in dicta l. ex damn. disponente non haberi debere rationem voluptatis; Non erat enim simpliciter necessarium, ut viridarium non adeo conspicuum haberet illam lodiam, unde sufficiebat reparari cum muro à parte interiori, solvendo tantum damnificato id, quod intererat situs amissus, ac etiam habita ratione ejus, quo pretium viridarii diminutum esset ex deficiencia dictæ lodiae, sed non propterea ad tam ingentem impensam meret voluptatis causa procedendum, unde propterea congruum & justum videbatur, ut damnificans adeo gravatus, in hoc saltem relevaretur, & hanc mihi dicebam videri veritatem, juxta quam judicarem, presupposito tamen facto capaci dictæ applicationis.

Difficultatem solūm super isto negotio suggerebat factum an scilicet constaret murum antiquum esse ruinosum, vel probabiliter allaturum periculum, nisi restauretur, quoniam dubitari poterat substantiationem lodiae antiquitus principali ter provenire, ut vulgo dicitur dalla contracarpa di terra, que unita cum antiquorum ædificiorum reliquijs lati solidis, erat forte magis tuta, & perpetua, quam sit simplex murus novus, & in hoc bene justificando erat totus punctus difficultatis.

## ROMANA EXPURGATIONIS,

SE V

DAMNORUM, & EXPENSARUM.

PRO

PRINCIPE BURGHESIO,

CVM

DUCE CESARINO,  
& alijs.

Cessus discussus in Tribunalis Agriculturne.

An vicinus agere posset contra vicinum ad  
dam-